

boni viri et boni cives, nulla ignominia notati, non revertantur, in quam tot nefariorum scelerum condemnati reverterunt. Habes augurium meum: quo, si quid addubitarem, non potius uterer, quam illa consolatione, qua facile fortem virum sustentarem, te, si explorata victoria arma sumsisses pro republica (ita enim tum putabas) non nimis esse laudandum: sin propter incertos exitus eventusque bellorum posse accidere, ut vinceremur, putasses, non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse. Disputarem etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantaeve delectationi in rebus adversis litterae esse deberent. Commemorarem non solum veterum, sed horum etiam recentium, vel ducum, vel comitum tuorum gravissimos casus: etiam externos multos claros viros nominarem. Levat enim dolorem communis quasi legis et humanae conditionis recordatio. Exponerem etiam quemadmodum hic, et quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viveremus: necesse est enim minore desiderio perdita republica carere, quam bona. Sed hoc genere nihil opus est; incolumem te scito, ut spero, vel potius, ut prospicio, videbimus. Interea tibi absentem, et huic, qui adest, imagini animi et corporis tui constantissimo atque optimo filio tuo studium, officium, operam, laborem meum, jam pridem et pollicitus sum, et detuli: nunc hoc amplius, quod me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur, familiares quidem ejus sicuti neminem: apud quem quidquid valebo vel auctoritate, vel gratia, valebo tibi. Tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustentens. Vale.

XVI. M. CICERO Q. LIGARIO S. D.

«Solatur Ligarium exulem, eumque bene sperare jubet, ac, ut interea forti animo sit, hortatur. Scripta post Africanum bellum videtur.»

Etsi tali tuo tempore me aut consolandi, aut juvandi tui causa, scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportet—